

rans miserabitur tui, ad vocem clamoris tui statim ut audivit respondebit tibi.

*Et sequabatur illum magnificans Deum.*

2. — Chrysostomus ait: « Bonum munus obtulit Christo, et quale? *Sequebatur eum magnificans Deum.* » Porro demoniaco a se liberato permittere noluit, ut se sequeretur, ne forte libertati jam restitutus per omnia loca cum Christo pertransiens, causa esset, ut miraculum circa se patratum magis magisque divulgaretur: at vero cæcum hunc illuminatum secum in Jerusalem conduxit, quando eo abibat moriturus, ut propriis oculis suis cornerent, quod voluntarie et sponte propria in patibulo crucis affigeretur: « Quando Jerusalem ascendebat, per crucem perfecturus altam mysterium, ut recentem habentes miraculi mentionem, non æstimarent eum infirmitate potius quam misericordia pati. »

3. — Theophylactus gratitudinem ejus admiratur his verbis: « Vide gratitudinem ejus, qui sanatus est, secutus est enim Jesum magnificans Deum, factusque est et aliis glorificandi Deum auctor. » Idem quoque Euthymius ait: « *Sequebatur eum* » tanquam gratus et beneficium rependens. »

4. — S. Bonaventura ait: « *Sequebatur per* » subjectionem obedientiam. » Quando enim anima aliqua, lumen et notitiam Dei receperit, per ejus directionem se aliis subjicere debet; cum enim propria voluntas nos decipiat, duce et præside nobis semper opus est.

5. — Salmeron S. Gregorium citat, qui de cæco hoc, Christum sequente, aliam expositionem adducit: « Ut eleganter ait Gregorius in Homilia hujus Evangelii: videt et sequitur, qui bonum, quod intelligit, operatur; videt autem, sed non sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed bene operari contemnit. »

6. — Jansenius ad cautellam eorum, qui cum reducti sunt ad penitentiam, ne reciderent, aliud ex hac cæci sequela eruit morale documentum: « Cavendum ei, » inquit, « ne ad pristinam redeat locum, nec amplius juxta viam sedeat et mendicet, » sed sequatur in via Jesum ad crucem pergentem; nec tantum sequatur, sed simul animo grato, Dei semper in se glorificet gratiam. » Quisquis hisce diebus lumen a Deo recepit, cognoscendi voluptatum et illecebrarum mundi hujus pericula et falsam et fraudulentam licentiam, is magis in sequela Christi effervescendo, gratum se exhibeat, atque ad Deum conversus, cum Psalmista Ps. cxviii, 33, 38, dicat: *Averte oculos meos ne videant vanitates, in via tua vivifica me; statue sermo tuo eloquium tuum.* Salomon postquam omnia imaginabilia hujus mundi gaudia expertus fuisset: *Omnia que desideraverunt oculi mei, non negavi eis, tandem respiciens, quodnam verum lumen sit, declarat, Eccles., ii, 14,*

dicens: *Sopientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat.* Ut S. Basilus ait: « Id est, ut ea contemplantur, quæ in sublimi sunt, » sublevandum est cor nostrum ad gaudia et voluptates alterius vite. De S. Francisco legitur, quod is, postquam comitem de monte Feltrio in castello montis Leonis hastilaudia, jocos et alia similia spectacula apparare intellexisset; socios suos hisce verbis fuerit exhortatus: « *Emus et nostras opponamus arces demonis insidiis, quas in hujusmodi jubilationibus sternere solet incantis.* » In eo igitur loco constitutus prædicare cœpit, thematicque loco hæc sibi verba assumpsit: « *E' tanto il ben, che aspetto, che ogni pena m'è diletto,* » id est, « tantum est bonum illud, quod me expectat, ut nulla sit pena, que non me delectet, » idque tanta eum energia prosecutus fuit, ut, comes Orlandus Dominus vallis Casentini montis, qui presens aderat, inde compunctus ejus se directioni et discipline submisit, eique Alvernie montem liberali dono donavit; tandem vero historia ita concludit: « *Expenderunt eo tendisse sermonem, ut a festis et vana sæculi lætitia transeundum deceret, ad crucis Christi perferendæ passionem, sine junibus non pervenitur ad regnum.* » Porro in principio presentis Evangelii mentio fit Passions Dominicæ sufficit abunde, ad tollendum e medio pannum illum, qui oculorum lumen nobis obfuscat, id est, voluptatum præsentium illecebras; valet etiam ad bacchanaliorum ebrietates et erapulas condemnandas, dummodo oculos per seriam quandam meditationem aperiamus. Salmeron de hoc cæco agens, Abraham, Isaac et Jacob, inter alios Veteris Testamenti sanctos Deo adeo fuisse gratos et acceptos dicit: « Quia cum totus mundus in tenebris idololatriæ et obscenorum peccatorum involutus esset, ipsi præ cæteris avertentes oculos a vanitate, Deum colebant, illumque sequebantur. Idcirco quando omnes Christum illis bacchanalium diebus derelinquunt, tu contende illum sequi; » imitare boni latronis exemplum, qui dum Christus a suis Apostolis et discipulis, aliisque suis sequacibus prorsus derelictus esset, quando unusquisque ei maledicebat, conviciabatur: « *Ille solus Dominum et Regem confessus est, ut intellegant omnes, qui Christi Dei cultores esse volunt, tunc sibi esse Christum vite et vite integritate consecrandum, et ore confitentium coram hominibus, cum maxime homines insaniant, et opera tenebrosa demonis amplexantur, et in præcipitium gehenne certatim se dejiciunt.* »

*Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.*

7. — Advertendum hoc loco est, S. Lucam dicere, quod hic populus laudem Deo dederit, non tam post miraculum a Salvatore patratum, quam postquam viderunt, quod cæcus iste illuminatus, gigantæis passibus seu gressibus Christum benefactorem suum fuerit insecutus; ubi nobis notandum est, quod plebs *dedit laudem Deo*, ad exemplum cæci hujus, qui, ut jam diximus, *sequabatur illum magnificans Deum.* Enimvero exemplum illorum, qui eo tempore præcipue Christum sequuntur, quo torrens mundi contrarium faciendum esse persuadere nititur, nobisque se omni virium conatu opponit, valde est efficax ad alios, ut idipsum faciant, permovendos. Sic enim in vita S. Caroli legitur, quod, dum sanctissimus hic Cardinalis ipso bacchanaliorum tempore, Ferrariam esset pertransiturus, dux urbis illius explicatum in foro veiculum, nec non et statuum ibidem velut indulta licentiæ et lasciviæ bacchanalis indices publicæ erectam inde demoveri, omnesque solitas larras, ludos, jocos, aliasque vanitates pro illo anno prohiberi jussit, ne aliquod transeunti sancto scandalum daretur. Venetiis pariter sancto illam civitatem eadem vice pertranseunte, facta est per ipsum feria quinta ante Dominicam Quinquagesimæ communio quedam generalis, fuitque in vasta illa civitate, talis et tanta commotio populi, qui ad ejus imitationem, exercitiis spiritualibus vacabat, ut solemniss Paschatis dies esse vide-

retur, neque in publico vel unus homo larvatus conspectus fuerit.

#### Adiciones.

a. — *Et confestim vidit et sequabatur illum magnificans Deum.* Receptus favor magnus erat, sique recognoscebat eum, sed major est quam exhibet tibi illuminando animam tuam, eamque ad penitentiam excitando et expectando. Unde et majorem ei exhibere debes gratitudinem, nisi etiam ut ingratus velis severius puniri.

b. — Prudenter fecit iste cæcus recognoscens, et gratus pro favore accepto, gratus agens Deo. Deus enim gratiarum tributum, pro beneficiis suis in lege nature, scripta et Evangelica semper postulavit. Institutio festorum, ab Ecclesia, per assistentem ei Spiritum Sanctum facta, nullum alium præter debitam gratiarum actionem finem habet: « Quia enim in multis homo Deo existit ingratus, » inquit D. Chrysostomus, *Hom. xxvi, in Matth.,* « ipse ubique suscipit vicem nostram, et ad ea que ad nos pertinent, per divitias sue dispensationis operatur, nam quod pro Judæorum aliquando salute faciebat, temporibus, locis festivitatibusque variis, in memoriam illius suorum beneficiorum reducens, id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis, ipso genere sacrificii, ad jugem nos pro beneficiis suis gratiarum in-citans actiones. »

## FERIA QUARTA CINERUM

### EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VI, VERS. 16

16. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cum jejumas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, et Pater tuus qui est in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærgo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærgo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

#### VERSUS 16.

*Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

#### Cum jejunatis.

1. — Non sine causa, hoc primo die quadrage-

simæ, præsens nobis Evangelium proponitur, siquidem cum fideles haecenus crapulis ad gulam usque immersi, omnibusque aliis vitiis contaminati fuerint, merito hodie ad jejunium et penitentiam invitantur. Chrysologus de jejunio quadragesimali, *Serm. cxvi,* tractans ita scribit: « Cum mundus, intra gratias humani primordia per delenda, « nefando vitiorum squalore sordesceret, et totus

« criminum feteret horrore, ac pene ipso iniqui-  
« tatis suae fumo fuscare celi tantam contenderet  
« claritatem, quadraginta diebus ac noctibus ex-  
« ciliatur terram, celestis imber effunditur. »  
Porro inficari nemo poterit humanam malitiam  
hactenus ad summum usque gradum pertigisse,  
siquidem bacchanaliorum tempore verificari vide-  
tur, quod in Genesi, iv, 12, 5, dicitur: *Omnia caro  
corrupti viam suam; cuncta cogitatio intenta ad  
malum, repleta est terra iniquitate*; merito igitur  
ad hasce penitentiam et jejunii quadragesimalis  
aquas invitamur, ut purificari valeamus: « Atten-  
« dite fratres, » inquit idem Chrysologus, « quales  
« sumus sit quadragenarius numerus iste, qui et tunc  
« eorum terris arborum abluendis, et nunc fonti  
« baptismatis operum totum pandit gentibus inno-  
« vandis. » Ad hanc purificationem, Ecclesia in  
oratione proximam Dominicam alludere velle videtur,  
dum ait: « Deus qui Ecclesiam tuam annua qua-  
« dragesimali observatione purificas. »

2. — Dionysius Carthusianus, in *Math.*, *ibid.*,  
jejunium ad quatuor precipue, magnam conferre  
utilitatem dicit, scilicet: « Ad concupiscentiam re-  
« fronationem; ad contemplationis puritatem; ad  
« culpæ emendationem; ad virtutum et gratiæ  
« adeptionem. » Quantum ad *primum fructum*, Al-  
bertus Magnus super prima hujus Evangelii verba  
ita scribit: « Intentio Dei et Ecclesiæ est, ut jejuni-  
« o demeter pestis libidinis, et ideo præcipit absti-  
« neri a facientibus libidinem, » id est, a carnibus,  
et omni eo, quod ab illis derivatur.

3. — Carnevale, verbum italicum, quod latine  
carnisprivium seu bacchanalia dicitur, aliqui dicunt  
idem significare quod caro prævalet; et ideo ad  
illam domandam, potentius jejuni remedium adhi-  
eri non posse, quis est qui non videat? Unde S.  
Cyprianus, de *jejun.* et *tent. Christi*, ait: « Jejunii  
« fugitivæ abeunt voluptates, jejuni omnem car-  
« nis rebellionem edomat, et tyrannidem gulæ spo-  
« liat et exarmat. »

4. — Servit quoque ad contemplationis puritatem,  
quia tempus hoc quadragesimale, ad seriam quam-  
dam divinorum mysteriorum meditationem præci-  
pe ordinatur. « Aecedentes ad quadragesimam  
« initium, » inquit S. Leo, *Ser. 1 de Quadr.*, « id  
« est, ad diligentem Domini servitutem. » Simi-  
liter in Responsorio sexto Dominicæ proxima  
dicitur: « Paradisi portas aperuit nobis jejunium,  
« suscipiamus illud orantes et deprecantes. » At  
vero certum est, quod homo a jejunio magnum ad  
orationem recte instituendam subsidium accipiat,  
ideo Ecclesia dicit: « Corporali jejunio mentem  
« elevas. » Et Chrysostomus, *Hom. 1 in Gen.*, ait:  
« Jejunium bevas animæ pennas producit, ut in  
« sublime feratur, et summa contemplari queat. »

5. — Valet etiam ad culpæ emendationem; hæc  
enim tertius est jejunii effectus, juxta Carthusi-

num, in cujus probationem notandum est, quod  
hoc eodem die, quo jejunium inchoatur, Ecclesia  
cantet: « Emendemus in melius, que ignoranter  
« peccavimus. » Et quidem non solum est frenum,  
quo a peccatis in futurum committendis retrahi-  
mur, verum etiam ad penitentiam et remissionem  
eorum peccatorum cooperatur, quæ de facto a no-  
bis commissa fuerunt. Et ideo S. Bernardus  
Senensis, *Serm. iv de Quadr.*, dicit: « Cum sit  
« corporis afflictivum, concupiscentiam debilitat,  
« futuris peccatis resistit. » S. Bernardus autem  
ait: « Non solum delicta peccata præterita que  
« commisimus, sed repellit futura, que commit-  
« tere poteramus. » S. Leo denique, *Serm. iv de  
Quadr.*, inquit: « Magna divine institutionis salu-  
« britate provisum est, ut ad reparandum mentium  
« puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio  
« mederetur, in quibus aliorum temporum culpa,  
« et pia opera redimerent, et jejunia casta decus-  
« querent. »

6. — Denique quartus effectus est, quod ad *vir-  
tutum et gratiæ adeptionem* quoque servat. Unde in  
præfatione quadragesimali Ecclesia dicit: « Corpo-  
« rali jejunio virtutem largiris; » at vero S. Hiero-  
nymus ad Gelatinum scribens, adjungit: « Omni-  
« bus omnino virtutibus abstinentia opitulatur; » ac  
proinde S. Petrus Chrysologus, *Serm. xiii*, ait:  
« Jejunium luet innocentiam, radiat castitate, sanc-  
« titatis toto magnificatur ornatu. »

7. — Verumtamen præter jam adducta motiva  
aliud quoque adducere possumus, nimirum quod  
quia tempore præcedenti regnarunt vitia, et specia-  
liter gula et ebrietas apud homines invaluerunt,  
merito ab hodierno die jejunium instituitur, ut  
eradicentur illa, hujus vero damna et excessus res-  
taurentur. S. Petrus Chrysologus animam quam-  
dam christianam hisce verbis invitat: « Sumat  
« eum Christo arma jejunii, prosternat castra vi-  
« tiorum. » Et S. Cyprianus dicit: « Jejunii viti-  
« rum sentina siccat. » Apostolus, noctis et  
tenebrarum nomen peccato, operibus vero bonis  
lucis nomen attribuit, et ideo presenti et proxime  
elapso tempore verba ejus, *Rom.*, *xiii*, adaptare  
possumus, dicendo: *Nox præcessit; dies autem  
appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum,  
et induamus arma lucis, sicut in die honeste ambu-  
mus*; hisce namque verbis Apostolus nos exhortari  
videtur, ut bacchanalia et turpitudines præteritas  
detestemur, nobisque modum prescribit id faci-  
endi, *ibid.*, *13*, nimirum per usum abstinentiæ:  
*Non in commensationibus et ebrietatibus, non in  
cubilibus et impudicitis; sed induimini Dominum  
Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis*; hæcque  
una est illarum causarum, ob quas S. Bernardus,  
*Serm. in die Cin.*, jejunium institutum fuisse dicit:  
« delectationi perpetrati peccati, subtractionem  
« delectationi perpessus recompenat. »

8. — S. Leo quoque, *Serm. 1*, de hoc tempore,  
opus nobis esse dicit, ut nos armis fortissimis ad-  
versus inimicum infernale communioniam, absti-  
nentia nimirum et sobrietate: « Quia quasi ad  
« quemdam agonem saneti operis introimus; ad  
« quemdam agonem saneti operis introimus; ad  
« pugnas tentationum animos præparemus. » Et  
hinc est, quod Ecclesia a Spiritu Sancto directa,  
post cinerum distributionem hac oratione uti so-  
leat: « Concede nobis, Domine, præsidia militiæ  
« christianæ, sanctis inchoare jejuniis, ut contra  
« spirituales nequitiæ pugnaturi, continentiæ mu-  
« niamur auxiliis. » Certum est quod infernus hoc  
tempore magis quam unquam alias contra nos sæviam  
atque ferociam, ob metum partem semel prædam  
amittendi, præterquam quod necessum sit, ut idem  
sanctus Pontifex, *Serm. xv*, advertit, « Intellegimus,  
« quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto  
« nos vehementius ab adversariis impeditos. » S.  
Ambrosius jejunium castra militaria appellat. « Cas-  
« tra nobis sanæ, » inquit, « nostra jejunia, que nos  
« a diabólica impugnatione defendunt. » Tertullia-  
nus autem illud scutum appellat, quo immissa in nos  
tela retundantur et arceantur: « Jejunium scutum  
« nostrum est, ad retorquenda jacula diaboli. »

9. — S. Bernardus se ad aliud quoddam moti-  
vum reflectit, nimirum ad zelum quo sancta Mater  
Ecclesia se etiam pro corporali salute nostra con-  
servanda et promovenda sollicitam matrem esse  
ostendit, hæc enim, crapulas bacchanaliorum con-  
tinuando, in manifesto erat perditionis periculo;  
unde optime Ecclesiasticus, *xxxvii*, *32, 33, 34*, mo-  
net: *Noli avidus esse in omni epulatione, et non te  
effundas super omnem escam; in multis enim escis  
erit infernitas, et per crapulam multi obierunt: qui  
autem abstinens est, adjiciet vitam*. Huic quoque  
tempori valde adaptantur nonnulli a S. Athanasio  
recensiti jejunii effectus; ita enim sanctus hic Do-  
ctor de jejunio, *lib. de virg.*, loquitur: « Distillatio-  
« nes exsiccant, demones fugat, malas cogitationes  
« expellit, et mentem nitidiorem reddit, et cor  
« purgatus, et corpus salubrius. »

*Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, etc.*

10. — Porro ne honorum operum, quibus ac-  
cumulandis hoc tempore specialiter incumbere  
debemus, fortassis amittamus meritum, hisce ver-  
bis, hypocrisim et vanam gloriam studioso fugere  
monemur. S. Thomas, in *Cat.*, ait: « Sciebat Do-  
« minus gloriam vanam ex omni bono procedere,  
« ideo spinam vanæ gloriæ, que nascitur in terra  
« bona, jubet præcidere, ne suffocet jejunii fruc-  
« tum. » Et S. Augustinus, *lib. 1 de ser. Domini in  
mont.* *Ser. xix*, ait: « Advertendum est, non in solo  
« rerum corporearum nitore atque pompa, sed  
« etiam in ipsis sordibus luctuosus esse posse jac-  
« tantiam, et eo periculosiorem, quo sub nomine  
« servitutis Dei decipit. »

11. — Idem Doctor Angelicus in eadem Catena,  
per Gregorii calammum, hypocritam quemdam hoc  
modo describit: « Ora pallescent, corpus debilitate  
« qualiter, pectus interruptis suspiriis urge-  
« tur; » quisnam vero hujusmodi ansteritatis inis sit,  
hisce verbis exponit, dum ait: « Nihilque tanto  
« labore aliud, nisi æstimatio humana cogitatur. »  
Et Lucas Brugensis, in *Matt.*, ait: « Agunt enim  
« id, quod temperantium est, proque hujusmodi  
« se vendicant, et haberi hujusmodi gaudent,  
« cum non temperantiæ, sed inani gloriæ operam  
« dent. »

12. — S. Thomas verba *Nolite fieri* considerans,  
dicit: « Prohibet non solum facere sed velle, quia  
« in voluntate radix merendi et demerendi est;  
« dicit fieri tristes, et non esse, quia ista tristitia  
« est simulatio, solum in apparentia; » quia hypo-  
crita apparentiam solum affectat.

*Exterminant enim facies suas, ut appareant homi-  
nibus jejunantes.*

13. — Cornelius Jansenius quale hoc faciei  
exterminium sit, his verbis declarat: « Nativum  
« faciei colorem studioso immutat, affectato scilicet  
« cet pallore, et vultus tristes severitate. » Et ideo  
Glossa non monet, ut tanto amplius nobis cavea-  
mus, quia « magis sub specie religionis decipiunt,  
« citateque S. Bernardum hanc questionem insitua-  
« tem: « Quia magis impius, a profectis impleta-  
« tem? an mentiens sanctitatem? nonne is, qui  
« etiam mendacium addit, geminat impietatem. »

14. — Chrysostomus, *Hom. xx in Math.*, ex  
Christi verbis prædictis hanc deducit consequen-  
tiam, que illos, qui ex vanæ gloriæ motivo im-  
palescent, condemnat, nimirum: « Quidam  
« dicendum est de facie corruptentibus facies  
« feminarum in perditionem juvenum lascivorum?  
« Nam hi quidem, qui ostentant pallorem jejunii,  
« semetipsos tantummodo; hæc vero et semetipsas  
« et eos, a quibus videntur, interimunt. »

15. — Verum enimvero prima facie videri  
cupiam posset, contradictionem quamdam inter id,  
quod Christus in Evangelio docet, illudque quod  
Ecclesia in hoc sacro Cinerum ritu prescribit repe-  
riri; dicit enim Ecclesia: « Immutetur habitus in  
« cinere et cilicio, jejunemus et ploremus; » quod  
quomodo cum eo, quod paulo post in Evangelio  
sequitur, scilicet: *Unge caput tuum et faciem tuam  
lavan*, concordet, non satis liquet. Verumtamen pro  
meliori hujus intelligentia, necessario ponderan-  
dum est illud: *Ut appareant*, non enim velatur,  
imo præcipitur hæc mortificatio et humilitatio ex-  
terna; sed tantum condemnatur intentio sui volun-  
tas apparendi foris, propter ostentationem et vanam  
gloriam. Unde Auctor Operis Imperfecti, *Hom. xv*,  
ait: « Ergo dicens: *Nolite fieri tristes*, hoc dicit:  
« nolite propter homines jejunare. » S. Thomas super

illa verba: *Ut appareant hominibus*, subjungit: « qui vident solum exteriora. » Adducit auctoritatem S. Isidori, qui scribit: « Qui cibis abinent et mala agunt, demones militant, quibus culpa adest et cibis abest. » Idem vero S. Thomas paulo post subjungit: « Non perhibet simpliciter videri, sed velle videri, quasi dicat: *Ne velis favorem vel laudem pro jejuniis ab hominibus capere.* »

**16.** — Enimvero Auctor Imperfecti, *Hom. xv*, quamdam horum verborum interpretationem habet, ex qua colligitur Sapientiam incarnatam in hisce verbis monere seu culpare velle illos, qui in statu peccati jejunant: « Hypocrita, » inquit, « est omnis qui peccans jejunat. » Idem Auctor paulo ante dixerat: « Ille jejunat, qui non peccat; qui autem peccat et jejunat, non ad gloriam Dei jejunat. » Porro cum singulari mysterio abstinentia quadagesimalis hoc præcise tempore proponitur, quo fideles, potiori ex parte, ad gulam usque peccatis immersi existunt, ut eadem abstinentia mediante, penitentiam agant et confiteantur, ad hoc ut abstinentia illis utilis esse queat.

*Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.*

**17.** — S. Hieronymus, in *Matth.*, vi, ait: « Non Dei mercedem, sed suam: laudati enim sunt ab hominibus, quorum causa exercere virtutes. » Considera vero hic quanta sit differentia inter mercedem, quam repleuri fuissent a Deo, si ob ejus honorem id fecissent; sic enim pro mercede æternam recepissent gloriam; et inter mercedem ac remunerationem, quam recipiunt ab hominibus, a quibus non nisi applausus et vanam gloriam reportant.

#### VERSUS 17.

*Tu quidem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava.*

*Tu autem cum jejunas, unge caput tuum.*

**1.** — S. Hieronymus dicit usum fuisse in provincia Palæstina, ut festivis diebus caput suum ungerent et profumarent: « Præcepit igitur, ut, quando jejunamus, letos et festivos nos esse monstramus; » quod idem enim S. Thomas his verbis tradit: « Caput unge, id est, hilarem et festivum te exhibe, non solum propter illud Apostoli, *II Cor.*, ix, 7, motivum, dicentis: *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*, verum etiam ad denotandam lætitiā, quam quilibet, Dei honorem zelans, Christianus habere debet ex eo, quod regnum peccati et dæmonis, quod præterlapsus diebus cum irreparabili bonorum morum et cultus divini damno triumpharet, destructum et devastatum esse videat; præterquam quod etiam justus sit, ut exhiberet faciem ejus in oleo,

id est, ut gaudeat, propter unctionem spiritualem gratiæ, siquidem Spiritus Sanctus, *Spiritalis unctio* appellatur, dum scilicet reipsa experitur, quam sit major lætitiā et jubilus, quem animæ alicui communicat serenitas bonæ conscientie, quam omnes alii mundi jucunditates, quæ subito transiunt et de quibus, *Prov.*, xiv, scribitur: *Extrema gaudii luctus occupat*; siquidem communiter in planctu et ploratu desinunt: *In fletu et planctu scindite corda vestra*. Apostolus ad Romanos, xiv, 17, adeo propriis verbis, hæc de re scribit, ut in detestationem bacchanaliorum nostrorum expresse loqui voluisse videatur; ostendit enim, in quoniam vera lætitiā, veroque gaudii consistat; nimirum in virtuose operando: *Non est regnum Dei escæ et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto*. « Prompta igitur devotione et alaci fide, » ita nos S. Leo, *Serm.* ii, de Quadragesima exhortatur, « suscipiamus solemne jejunium, non in sterili inedia; » quibus obiter nobis insinuat, qualem famem et sitim habere debeamus, quæ majoris apud Deum sit meriti, quam corporalis. Simus de illis, de quibus veritas dicit, *Matth.*, v, 7: *Beati qui esuriant et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*.

**2.** — Chrysostomus a S. Thoma in *Catena* citatus, per caput nostrum, Christum interpretatur; per unctionem vero, opera misericordiæ: « Caput tuum, id est, Christum. » Porro ad subveniendum pauperibus, iisque beneficiandum hoc tempore, quo jejunamus, specialiter invitatur, unde S. Leo, *Serm.* ii, de jejunio decima mensis, ait: « Jejunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus, impendentes virtuti, quod subtrahimus voluptati; fiat refectio pauperis, abstinentia jejunantis. »

**3.** — Chrysologus, *Serm.* xli, abstinentiam ad infirmitates nostras curandas, unicum dicit esse remedium, at vero insuper a nobis exigit, ut abstinentiæ opera, misericordiæ conjuncta inveniantur: « Abstinentia est homini prima medicina, sed ad plenam curam misericordiæ requiritur expensas. » Et paulo infra, postquam de hac unione diffuse tractasset, hæc tandem statuit maximam: « Quod anima est corpori, hoc misericordiam constat esse jejunio, quando jejunium ex misericordia vivit, tunc vivificat jejunantem. »

**4.** — Paulus de Palatio, ad oleum spirituale jubili interioris alludens, motiva ostendit, ob quæ anima fidelis, hoc tempore quo jejunatur, consolationem specialem concipere debeat: « Diem festum te agere existima; festus sanæ, cum spiritus carnis tuam vincit, refertque de suo hoste triumphum; festus est, cum arma dæmonis jejunio extenuat et habet, spemque ei aufert de habenda victoria. »

**5.** — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Unge caput tuum, id est, mentem, oleo nitoris conscientie; »

redditque rationem, quia alias demon facile te capere potest, nimirum per cogitationum et desideriorum capillos; nisi bene sit mundata conscientia. « Ne diaboli per capillos, id est, cogitationes teneat, » ac proinde opere prædium erit, confessio peccatorum detestati, et bona ac sincera confessione mediante, purificati animam; et hæc est, quæ hoc oleo ungitur, de quo, super hunc locum glossans S. Hilarius ait: « Oleum fructum misericordiæ esse, celestis propheticus sermo est; » de quo etiam oleo gratiæ, Ilago Cardinalis hæc locum interpretatus fuit. At vero, cur Christus etiam vultum a nobis lavari velit, dicens:

*Faciem tuam lava.*

**6.** — Verba ista, prout Jansenius declarat, non litteraliter, sed metaphoricè intelligenda sunt, quia illis indicare vult, dissimulandum esse jejunium, id quod, ni fallor, ab Auctore Imperfecti didicit, qui ita, *Hom. xv in Matth.*, scribit: « Simplex interpretatio hujus loci hæc est, tanquam si dicat: Sic longe te facere debes ab ostentatione jejunii tui, ut si potest fieri, quod non decet, etiam ea facias, quæ ex diverso, luxuriæ et opulentiæ videntur esse indicia; » spirituales tamen hujus loci sensus sunt hi sequentes.

**7.** — Glossa dicit: « Non sufficit apud misericordiam, sine munda conscientia. » Etenim per lotam faciem nostram, mundata conscientia intelligitur. Auctor Imperfecti ait: « Quia facies animæ, conscientia intelligitur; projice ergo abs te avaritiæ sordes, perjurii stercora, malitiæque putredinem et lavasti faciem, id est, conscientiam tuam aqua prophetica, de qua dicit Isaias, i, 16: *Lavamini et mundi estote, auferite nequitiam ab animabus vestris*. » Enimvero in toto anni circulo, nulli sunt dies, in quibus Christiani hominis facies fedior sit aut turpior atque sordidior, quam in hisce bacchanalium diebus, in quibus de ipsis dici potest: *Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt, denigrata est super carbones facies eorum*. Sed ecce tibi facilem faciæ lavandæ methodum. *Si iniquitatem, quæ est in membris tuis, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia*, ut dicit Job, xi, 14, tunc lavare poteris faciæ tuam absque macula. Sub Ninivitarum Rege Sardanapalo, universa Ninive festivis gaudiis, choreis, jocis, epulis, cunctisque aliis sensualitatibus dedita, imo immersa erat, cum ecce Jonas a Deo in eandem missus, totalem ejus subversionem eidem aperitis verbis prædixit; at vero post præscriptum a Rege et ab omnibus exactissime observatum jejunium et penitentiam illam adeo austeram inchoatam, Deus eidem urbi placatus fuit, *Jon.*, ii, 10: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; et misertus est Deus*. Pari quoque modo Deus, præteritis hisce diebus, totum Christianismum, velut alteram quamdam

Niniven, vidit crapulis, ludis, larvis, trupidis, aliisque vanitatibus deditam, quibus divinæ justitiæ adversum se provocabat supplicia; at vero postquam per missos ad illos, non unum, sed plures Prophetas, id est, prædicatores illis intimatum est et susceptum jejunium, post illam ejusdem conspersio-nem, aliasque exteriores penitentias, Deus illis placari cœpit; sed attende, quo modo id fieri possit: *Qui conversi sunt de via sua mala, misertus est Dominus*; non quia induerunt se ciliciis, non quia capita sua consperserunt cinere; non propter jejunium, nec ob alias similes austeritates, sed quia a peccatis suis destiterunt, quia conscientias nostras per bonam et sinceram confessionem emundamus, quia cunctis iniquitatibus præcedentibus filium detruncamus. Et hoc est, quod notat Chrysostomus, dum, *Hom. in ad pop.*, ait: « *Vidit Deus opera eorum*. Qualia opera? Quod jejunaverunt? Quod saccum induerunt? Nihil horum; sed hæc omnia tacens intulit: *Quoniam conversi sunt quisque a viis suis malis*. » Legatur obsecro ita a Simeone ad populum habita exhortatio, in qua Propheta, *I Reg.*, vii, 3, ita loquitur: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferet Deus alienos de medio vestri et preparate corda vestra Domino, et servite ei soli*. Que omnia cum executioni mandassent, demum aquam effuderunt: *Hauerunt aquam et effuderunt in conspectu Domini et jejunaverunt, atque dixerunt: Peccavimus Domino*. Tertullianus de jejunio scribens ait: « Deliquerat Israel, sed in æquatione congregatos, ita statim jejunio delictum diluit, ut periculum prælii simul effugerit; » evasit Dei supplicium et remissionem peccatorum pariter obtinuit. Videmus per quotidianam experientiam, quod ad abluendas linteorum sordes, lixivium adhiberi solet, quod est liquor quidam, qui per cinerem, aquam et ignem conficitur. *In meditatione mea exardescet ignis*, dicebat Psalmista, xxxviii, 4: ecce ignem. *In fletu et planctu florems*: ecce aquam. Cineres quoque, qui mortis memoriam significant, non desunt: *Memento homo, quia cinis es*; uniantur igitur hæc omnia simul, omnesque anime nostræ maculas infallibiliter abluemus. Auctor Imperfecti, *Hom.* xxxv, per hæc faciem, cor intelligit, idque probat ex sequentibus verbis David: *Tibi dixit cor meum, exquisivi te facies meæ*; non enim facies carnea Deum quaerit, sed conscientia. S. Antonius de Padua, per hæc ablutio-nem, bonam et sinceram confessionem interpretatur: « Aqua confessionis pura, que non solum habet conscientiam expiare, verum etiam et illuminare intellectum. »

**8.** — Advertendum similiter est, quod sancta Mater Ecclesia jejunium et hæc mysticam ablutio-nem simul conjungat, siquidem ut S. Leo, *Ser. in Cin.*, scribit: « Impleri debet jejunium non ciborum tantummodo paritate, sed maxime priva-

« tione vitorum; » et hoc quidem est essentiale quoddam punctum, fidelium mentibus necessario imprimendum. Et forte causa est, ob quam, in hac Quadragesima, verba illa Isaie, LVIII, 1: *Animata populo meo scelera eorum*, tam frequenter repetantur, quasi quibus anticipare respondere vellet, populi illius lamentis, quibus paulo post dicebat: *Quare jejunavimus et non aspexisti? Humiliavimus animas nostras et necivisti?* Porro Deus, *ibid.*, 16, longum contextit iniquitatum illius catalogum et tandem concludit: *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis*, etc. S. Hieronymus, Celantiae praeclarum hoc monitum transcripsit: « Tunc praeclara est abstinentia corporis, cum « animus jejunit a vitis. » Et hic est sensus verborum Hymni illius: « Sic corpus extra conteri, Dona « per abstinentiam, jejunit ut mens sobria, A labe « prorsus criminum. » Chrysostomus similitudinem quamdam, proposito nostro aptissimam, adducit, *Serm. 1 ad jejun.*, dicens: « Qui propter peccatum « jejunat et in peccato volutat, quid amplius facit, « quam si in luto lotus sit, iterumque in luto volu- « tetur? »

## VERSUS 18.

*Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

*Ne videaris hominibus jejunans.*

1. — Insistit de novo nobis inculcare, ne jejunemus ad acquirendam nobis, apud homines, nominis nostri existimationem, sed tantum ad hoc, ut Deo Patri nostro placeamus. « Et si contigerit, » inquit, *ibid.*, Lucas Brugensis, « ab hominibus intelligi, « modo id ambitum non fuerit gloriae ergo, nihil « peccatum est. » Nequaquam vult, a nobis in operibus nostris oculi requirantur humani. « Vanus sunt « omnes homines, » inquit Albertus Magnus, idemque Apostoli exemplo confirmat, *I Cor.*, IV, 3, dicens: *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicor, aut ab humano die.* Et S. Paschasius clarius inquit: « Hominibus ille jejunat, qui favore eorum captus, « vanam gloriam quaerit. »

*Sed Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

2. — Idem S. Paschasius, *lib. IV in Matth.*, optime declarat, quinam sint illi, qui oculis Dei, qui est in absconditis, jejunant: « Ille vero, » inquit, « Deo Patri jejunat, qui propter ejus amorem, sese « macerat; » hypocrita enim ob amorem et motum humanum macerat; sed et insuper subjungit: « Et quod sibi subtrahit, alteri largitur, » id est, de eo, quod ex jejunio, de suo reponit, eleemosynam pauperibus impertitur.

3. — Porro Deo, Patris titulum attribuit, quia in

jejunio et in cunctis aliis penitentiae operibus, nos pro filiis suis agnoscit, atque ad praemiandum nos, paterno nos oculo respicit; tametsi enim nos illum minime videamus, siquidem de ipso in veritate, *Isa.*, XLV, 15, dicitur: *Vere tu es Deus absconditus*, ipse tamen nos perspicue videt: *Qui videt te*. Porro his repetit, *in abscondito*, quia ut ait Albertus Magnus: « Placet ei cordis secretum in intentione, « qua sibi placere desideramus. »

4. — Idem Auctor hinc verbis: *In abscondito*, aliam quamdam glossam adhibet, dum ait, « hoc « est in conscientia; » siquidem *scrutatur renes et corda*. Et ideo S. Paschasius super eadem verba scribens, ita nos monet: « Necessè est, ut jejunans « sic vivat, ut ei placeat, quem in pectore portat. »

5. — Porro in brevibus hinc, valde autem considerabilibus verbis, incarnata illa Sapientia, ut Albertus Magnus ait, tria intulit, nimirum: « Affec- « tum Patris, beneplacitum videntis et approban- « tis et justitiae aequitatem retribuientis; » siquidem nominatur Pater, de eoque dicitur, quod jejunia nostra cum complacentia videat, ac denique quod ea remunerabit.

6. — Dionysius Carthusianus particularem quamdam Dei assistentiam notat, qua illis, qui pro viribus suis in cunctis operibus bonis, mundi applausum et existimationem fugiunt, specialiter assistit: « *Patri tuo, qui est in abscondito*, habitat in abscon- « dito, id est, in corde humili, latere optanti; non « in manifesto, id est, in animo vano apparere « volenti. » *Psalmita*, Ps. V, 12, scribit: *Et gloriantur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*. Etenim in eo proprie cognoscuntur, qui Deum vere diligunt, quando in operibus suis ad nihil aliud quam ad gloriam Dei collimant; neque enim ob id, gloriam propriam amittunt, imo, ut ait Chrysostomus: « In « Deo gloriarì, est ornatus omnium maximus, et « splendor, qui innumerabilia superat diademata. »

*Reddet tibi.*

7. — S. Remigius, *in Cat.*, ait: « Sufficit enim « tibi, ut, qui inspector est conscientiae, sit et « remunerator. Ecce justitiae retributio, » inquit Albertus Magnus, qui et illum *Apoc.*, II, 23, textum adducit, ubi dicitur: *Scient omnes Ecclesiae, quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua*. Vult igitur, ut perspicue intelligamus, semperque memores simus, quod omnium bonorum operum, quae maxime in hac Quadragesima facturi sumus, nimirum abstinentiae, praedicationum, orationum, stationum, aliorumque omnium merces promptissima semper aderit. Dionysius Carthusianus retributionem istam ad jejunium limitat: « Reddet tibi salutarem effec- « tum jejunii et premium copiosum, » siquidem, ut jam diximus, multa sunt lucra, quae ex jejunio reportamus. Observari hic meretur verbum *reddet*;

illud namque restitutionem rei alicujus debite exprimere videtur. Enimvero nos, respectu Dei, debiores sumus, qui ipsi praceptorum suorum exactam observantiam, imo nos ipsos, quanti et quidquid sumus, totaliter debemus; unde Redemptor noster Apostolos hunc in modum, *Luc.*, XVII, 10, instruit: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi iniques sumus, quod debuimus facere, fecimus*, et tamen licet nullam erga nos obligationem in se habeat, se tamen per aeternae veritatis promissionem, cujuslibet etiam minimi operis boni, in gratia facti, debitorem et remuneratorem declarat: *Reddet tibi*, tametsi in suo semper vigore illud S. Augustini axioma remaneat, dicens: « Deus coronat in nobis sua dona, non « nostra merita. »

## VERSUS 19.

*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aergo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur.*

*Nolite thesaurizare.*

1. — Tria enumerat rerum genera, quae inter hasce res terrenas, in aestimatione sunt; nimirum primo metalla et haec ab aergine consumuntur; secundo vestes pretiosas et haec roduntur a tineis, denique alia, quae huic damno duplici minime quidem subjacent, ut sunt gemmae, monilia et alia pretiosa, sed haec furto nobis eripiuntur.

2. — S. Thomas, *in Matth.*, dicit, non esse thesaurizandum in terra, propter instabilitatem, quia cito amittuntur; ipsa namque experientia demonstrat, divitias magis esse subjectas periculis fori cessionis, naufragiorum, depredationum et millium aliorum infortuniorum; atque ideo per jocum poeticum, aurum pallidum esse dicitur, ob timorem continuum, quo angitur, ne ab unoquoque insidias patiatur.

3. — S. Anselmus, *in Matth.*, sub nomine thesauri, omnia haec bona temporalia intelligit: « Quisquis enim amorem suum in aliqua terrena « applicat, in terra thesaurizat et si aliquid, sicut « gulam, vel libidinem, vel aliquid terrenum diligit, « vel si bona mala intentione faciat, iste thesaurum « in terra ponit. » Omne studium et amor in illum repositus, qui ad Deum non est ordinatus, vanus est et perditus. Idem quoque S. Paschasius, *lib. III in Matth.*, dicere voluit, dum ait: « Omne quod « pro terrenis commodis gerimus, in terris thesaurizamus. »

4. — Cajetanus circa hunc incarnate Sapientiae loquendi modum, observat, multos per illum, nisi bene intelligatur, decipi posse, quia littera ista diligenter inspecta non prohibet thesaurizare, sed locum thesauri; prohibet enim eligere terram, pro loco thesauri. Unde colligitur, quod Principibus et

Patribusfamilias non sit prohibitum accumulare vim pecuniarum, hinc quidem ad provisionem in futurum filiis; illis vero ad publicarum necessitatum curandum subsidium; in ejus probationem, textum illum Apostoli ad Corinthios, II, XI, 14, adducit dicens: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, adeoque illa Christi propositio: *Nolite thesaurizare*, etc., in tantum qualificatur, ut per illam, hic in terris thesaurizare prohibeamur, vel in quantum aggregatus auri et argenti cumulus oculo, id est, divinae legi opponitur. « Pro- « hibet reponere in terra, ut terra contrariatur « celo; » et ut, quinam hac in parte culpabiles sint, ostendat, pergit dicendo: « Arguit contra hoc « praecipuum, quia accumulatur divitias, confidentes « in illis, in tantum, ut non curent providere sibi « in celo. » Auctor Operis Imperfecti, *Hom. XV*, ait: « *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, « quia non estis de terra, nec de terra venistis, sed « pro tempore pro terra suscepistis terram; illic « substantiam tuam colloca, ubi patriam habes. » Hoc idem est, quod nos Chrysostomus monet, qui contrarium, stultitiam vocat, *Hom. XLVIII in Matth.*, dicens: « Quae stultitia, illic relinquere, unde exila- « rus es, et non illic praemittere, quo iturus es; « thesauriza, ubi patriam habes. » Aeternae veritatis verbum est, quod quisquis thesaurizat hic in terris, nihil sibi, aut ad propriam utilitatem lucratur, sed aliis omnino sibi ignotis: *Thesaurizat*, inquit *Psalmita*, Ps. XXXVIII, 7, de avaro, et ignorat cui congregabit ea. Et Christus diviti, de thesauris suis disponere paranti, *Luc.*, XII, 20, dicit: *Quae parasti, cujus erant?*

5. — S. Paschasius aliter haec verba interpreta- tur, reflectendo se ad id, quod paulo ante de jejunio dixerat: « Qui jejunat, seu reservando quod non « ederit, seu gloriam sibi quaerendo; quod absti- « nit, in terris utique sibi thesaurizat; » idque per quoddam Chrysologi monitum egregie confir- matur, hic enim S. Doctor, *Serm. XXV*, ostendit, quod non sit jejunandum, ut ea, quae non consumimus, reservemus et accumulemus, sed ut erga proximos nostros beneficentiores esse possimus: « Fames est avaritiae jejunium sine misericordia; « ultio, non devotio est; non Deo jejunare, sed « sacculo, atterere se abstinentia et hydropi cupidi- « tatis inflari, exonerare ventrem cibis et mentem « pecunia pondere praegravare. »

*Ubi aergo, etc.*

6. — Quantum ad sensum spectat litteralem, is clarus et perspicuus est, adeo ut glossa nulla indigeat; sensus autem spirituales a sacris Expositoribus allati, omnes notabiles existunt. S. Paschasius, *ibid.*, dicit: « Omnia metallorum splendentia « aergo consumit et vestimentorum reventia « tinea et ut evidentius loquar, quaecumque in

« mundo possidentur, præteribunt; unde tribus istis verbis omnis concupiscentia mundi et avaritia luxu condennatur. »

7. — S. Thomas, in *Math.*, differentiam notat, quæ inter æruginem et tineam versatur: « Ærugo » apparet, tinea latet, unde per æruginem peccata corporalia, per tineam spiritualia significantur; » ambo argentum et aurum divine gratiæ, omniumque aliorum honorum operum, in quibus nos exercuimus, devorant et consumunt; et licet alias opera illa in eo essent valore, ut per illa regnum cælorum acquiri possent, attamen ærugo et tinea peccati illa totaliter destruit et perdit.

8. — Rabanus, a S. Thoma in *Catena* citatus, dicit: « Allegorice ærugo significat superbiam, quæ decorem virtutum effuscat. » S. Antonius de Padua, *Serm. in Cin.*, per æruginem, avaritiam intelligit; nota, ærugo de ere nascitur et ei inhaeret; eodem modo avaritia ex cumulo divitiarum nascitur, adeoque homini avaro adhærescit, ut ipsum consumat, nec permittat ei, ut illis in suam utilitatem uti possit.

9. — Per tineam, quæ in pannis pretiosioribus et delicatioribus nascitur, invidia intelligitur, quæ odium et averio est ab aliena felicitate. Rabanus ait: *Tinea, quæ vestes latentes rodit, est invidia; quæ etiam est expositio Hugonis Cardinalis, dicens: « Tinea significat invidiam, quia tinea latentes vestes consumit. »*

10. — S. Antonius de Padua autem, per hanc tineam, lasciviam vitium intelligi posse existimat: « Tineam, hoc est, lasciviam; quia sicut divitias, personam et animas consumit, sic lascivia gratiam; » hæc tinea diebus præteritis plus quam unquam alias, per annum devoravit in nobis habitus bonos virtutum et vestem illam pretiosissimam, de qua Apostolus, *Rom.*, xiii, 14, scribit: *Induimini Dominum Jesum Christum et carnis curam ne feceritis.*

11. — Per fures et latrones Hugo Cardinalis, hæreticos, vel etiam dæmones intelligit: « Fures » hæretici vel dæmones, qui semper ad hoc tenentur, ut spiritualibus spoliarent. »

12. — Motivum nihilominus, huic tempori aptius, ex his verbis circa mortem deducere possumus, mors enim in furibus, in æruginem quoque et tineam ad verum representatur; et ideo hanc nobis similitudinem Apostolus his verbis, *1 Th.*, v, 2, proposuit: *Scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte ita venit; cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus ei superveniet interitus; similiter sicut ærugo ferrum, quantumvis illud forte et impenetrabile sit, consumit; ita quoque mors omnem complexionem fortem et robustam prosternit; porro de tinea Job, xii, 28, ait: Quia quasi putredo consumendus sum et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea; et clarior in Isaiâ, xiv, 11: Concidit cadaver*

*tuum, subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt vermes.*

## VERSUS 20.

*Thesaurizate autem vobis thesauros in celo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur et ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

*Thesaurizate autem vobis thesauros in celo.*

1. — Salvator noster hisce verbis et modum et locum demonstrat, in quo thesauros nostros accumulare debemus. Unde S. Gregorius in alio quodam proposito nos monet: « Fratres, si divites esse vultis, veras divitias amate. » Modus autem thesaurizandi est substantiam et facultates nostras in pauperum subsidium et utilitatem impendere, ita enim illas in securo collocamus. Unde Lyranus ait: « Per hoc concludit excellentissimum modum thesaurizandi, quando scilicet bona temporalia et transitoria consumantur in pios usus et sic commutantur in bona spiritualia et æterna. » Chrysologus, *Serm.* vii, ait: « Thesaurus celi est mensuræ panis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in celo; thesaurizate, inquit, vobis thesauros in celo. » Lucas Brugensis super hæc verba ita scribit: « Colligimus, reponimusque nobis thesauros in celo, dum opus facultatesque nostras sedulo, et constanti, liberaliterque in Dei gratia erogamus. »

2. — S. Paschasius existimat, quod omne id, quod pro amore Dei facimus, in ærarium reponendo, thesaurizemus: « Omne quod propter Deum agimus, ad celum transponimus. » Cum igitur nunc magis, quam quovis alio anni tempore, mediantibus orationibus, verbi Dei auscultatione assidua, jejuniis, stationibus, aliisque operibus meritorie virtuosæ operari satagamus, ideo monemur, ut hæc spirituales divitias in locum securum, id est, in celum transferamus. Unde Corn. Jansenius ait: « Thesaurizare thesauros in celo, est apud Deum comparare et colligere futurorum præmeritorum merita, quod fit per quævis opera bona, et ut thesaurizari in celo sit, divitem fieri in operibus bonis. » Qui consonat, quod S. Thomas hoc loco dicit: « Thesaurizate, » inquit, id est, abundantiam honorum operum acquirite. »

3. — Considerabile est illud vocabulum *vobis*, siquidem hæc est differentia inter thesauros, quos hic in terra nobis acquirimus et illos, qui in celos a nobis reponuntur et transportantur, quod illi nobis utiles non sint; siquidem veritas verbum a Spiritu Sancto dictatum est illud Psalmistæ, *Ps.* xxxviii, 7: *Thesaurizat et ignorat, cui congregabit; ac proinde Albertus Magnus hoc loco ait: « Tangit thesauri utilitatem, cum dicit: vobis, » et Dionysius Carthusianus dicit: « Vobis, id est, ad vestram salutem. »* S. Thomas vero alio se re-

flectit, dum dicit: « Vobis, non Deo, quia nihil accrescit ei. » *Job*, xxxvii, 7: *Si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

4. — Paschasius per celum, æternitatem intelligit: « Celum hoc loco pro æternitate ponitur, terra pro transitoria. » Voluit igitur Christus nos docere, non pro hac, sed pro altera vita thesauros nobis accumulandos esse; quidquid enim thesaurorum, etiam opulentissimorum, congregaverimus, in altera vita de illis nihil invenietur ut dicitur, *Psal.* lxxv, 6: *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum, in manibus suis.* Dionysius Carthusianus ait: « Thesaurizate vobis thesauros in celo, id est, cumulum operum meritoriorum in celo, id est, ad hunc finem, ut ad cœlestem perducamini mansionem. »

5. — Per thesauros, qui in celo accumulantur, bonitatem quoque et longanimitatem Dei interpretari possumus, quia nos, quoadusque vivimus et valeamus, ad penitentiam expectat, *Rom.*, ii, 4: *An divitiis bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnitis; ignorans, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducet? Thesaurus in celo, inquit, Saluator; nam ut est in *Ps.* xxxv, 6: *Domine, in celo misericordia tua.* Porro per thesauros in terra, intelligere et contra possumus, divine justitiæ supplicia, peccatoribus obstinatis post hanc vitam preparata; unde Apostolus dicere pergit: *Secundum autem duritiam tuam et impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die iræ;* de hisce thesauris in Deuteronomio, xxii, 34, 35, dum de sceleribus populi illius mentio fit, ita scribitur: *Nomen hæc condita sunt apud me et signata in thesauris meis? Mea est ultio et ego retribuam in tempore.* S. Bernardus, predicatorum verborum S. Pauli sensum exponens, dicit: « Thesaurizatis tibi thesauros iræ pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis et evanescas te in misericordiam Dei. » Hodie mane ad hosce thesauros cœlestes, id est, ad misericordiam Dei, in introitu Missæ, invitati sumus, hisce verbis: « Miserere omnium, Domine, dissimulas peccata, » propter penitentiam et parcens, etc. » In distributione Cinerum quoque dicitur: « Multum misericors est, dimittere peccata nostra Deus noster. » Ac denique in Epistola legitur: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, pateris et multa misericordiz.**

6. — Thesaurum pariter, animam nostram appellare possumus; de hoc enim thesauro scribitur, *II Cor.*, iv, 7: *Habemus thesaurum istum in vasculis fetidibus;* id est, intra vas hoc luteum; de hac anima merito dicitur, quod sit thesaurus in celo repositus, quia ipsamet appellatur celum mysticum. Unde S. Gregorius, *Hom.* xxxviii, in *Evang.*, super illa verba: *Anima justi sedes sapientiæ,* dicit: « Dum celum dicitur sedes Dei; celum ergo est anima justi. » In vita S. Francisce Romanæ

legitur, quod hæc Sancta, in extasi quadam, hæc vocem audivit: « Deus est thesaurus animarum et animæ thesaurus sunt Dei. » S. Bernardus, *Serm. in de Adv.*, hæc de re ita scribit: « Pretiosissimum animarum thesaurum, servandum accepit, pro quo Christus mercator non insipiens, idem ipse sapientia Patris, totum suum sanguinem fudit. » Albertus Magnus super illud verbum: *In celo, dicit: « Ponit thesauri securitatem, cum dicit, in celo. »* Quisquam autem modus a nobis adhiberi poterit, ut thesaurum nostrum in securum locum, id est, in celum reponere possimus? Nimirum si, quamdiu hic in terra vivimus, consideraverimus, quod habemus thesaurum istum in vasculis fetidibus, serio meditando et ruminando illam, qua Ecclesia hodie in Cinerum distributione utitur, sententiam: « Memento, homo, quia cinis es et in cinerem revertis. » Etenim ratio, propter quam non thesaurizamus in celo, sive quod immo est, cur illum non reponamus in loco securo, unica hæc est, quia verba illa, *Math.*, xvi, 26, maximi momenti et utilissima minime consideramus, scilicet: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animam vero suam detrimentum patitur?* Quodsi omnes totius universi Monarchias, in unam libræ lanceam, in aliam vero valorem unius animæ statuimus, nihil illarum pretium, in comparationem valoris unius animæ, aestimari meretur; quod si insuper bene trinitur, in quoniam tandem omnes honores, thesauri, voluptates et deliciæ terminentur, invenimus quod horum et omnium aliarum rerum materialium finis, cinis sit. *Effodientes thesaurum, inquit Job*, iii, 21, 22, *gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum.* Ubi S. Gregorius ita scribit: « Antiqui suos mortuos cum divitiis obruebant; inde qui thesaurum quaerit, gaudet cum sepulchrum invenit. » Quapropter si hunc thesaurum animæ nostræ, in securum locum reponere volumus, industrie contemplantur, ubinam delitescat et invenimus, quod vere sepulchro cuidam inclusus lateat, siquidem monumentum portatile, est hoc corpus nostrum, maxime cum, quoad corpus, nihil simus aliud, quam terra et cinis. Veteres olim, super mortui alicujus cranium, incidere vel inscribere hæc verba solebant: « Cogitanti vilescunt omnia; » enimvero omnes hujus terræ thesauri, non plures, quam vile lutum aestimabuntur, si oculum nostrum ad lutum et cinerem, unde hæc vita nostra dependet, defigamus.

*Ubi neque ærugo, neque tinea, etc.*

7. — S. Paschasius, hæc verba hunc sensum habere dicit, « ac si dicat: Cum jejunatis, aut aliquid boni agitis, ibi recondite, ubi non adulescentia, non vana gloria corrumpit. » Etenim quamdiu frumentum istud operum honorum, in celi granario non est repositum, in paleam semper

transmutari facile potest, eo quod vane glorie periculo subiaceat. Querit Nazianzenus, *Orat. xxvi*, cur supremus ille rerum omnium artifex, Deus, animam hominis adeo nobilem, factam ad imaginem et similitudinem suam, intra hunc luteum, sordidum et vermiculosum carcerem includere voluerit : « Haud equidem scio, » inquit, « quo pacto simul et imago Dei sim et cum cœno voluerit ; tandem vero artificium hoc, suo non caruisse mysterio dicit, nimirum ideo id factum est, ut non intumescamus et extollamur, uti Lucifero accidit : Hæc nostra temperatio est, ut cum imaginis dignitas nobis animos extulerit, pulvis eosdem reprimat, contrahatque. » Verum quidem est, quod thesaurum, id est, pretiosam nimis animam habeamus ; at vero simul a nobis ponderandum est, ubi thesaurus iste repositus sit ; nimirum in vasis fictilibus, ideoque ad utilitatem hujus corporis reflectamus ; sed, qua utilitate et fructu id a nobis fiet ? Ut *sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis* ; verum quidem est, quod, quidquid operamur boni, id totum animæ fructus censendum sit, sed animæ, a Dei gratia adjunctæ et ideo totum Deo, non vero nobis adscribendum venit ; siquidem ex parte nostra præter cinerem nihil sumus. Chrysostomus querit, *Hom. xxxv in Matth.*, cur Creator hoc corpus nostrum, non ex solidiori et nobiliori materia formaverit et cur disposerit, ut subito post animæ ab eodem recessum, illud putrefieret ? Et respondet, quod si Deus aliter fecisset, « magis ab hominibus corpora diligerentur ; » adeoque cinis iste nobis ex pluribus capitibus auxiliatur, ut hunc animæ thesaurum majoris æstimemus, ipsumque in securum locum, id est, in cœlum reponere satagamus et consequenter at hoc corpus nostrum, utpote maximum, quem habemus, inimicum nostrum aspernemur.

## VERSUS 21.

*Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*

1. — Lucas Brugensis ait : « Cor pro affectibus

« cordis et animi ponitur ; nam cor nostrum esse « alicubi, nihil aliud est, quam curam omnem « nostram, cogitationem, gaudium, fiduciam, spem, « metum, amorem, totum videlicet animum circa « aliquid versari. » Si enim nos affectam, spem et omnes cogitationes in hæc res terrenas convertamus ; clarum utique indicium est, quod et thesaurus noster in cœlo non sit. Auctor Imperfecti, *Hom. xv*, dicit : « Quod si collocat thesaurus in terra, non « habet quod speret in cœlo, ut quid enim respiciat « in cœlum, ubi nihil repositum habet. » Celeberrimum est miraculum istud, quod in vita S. Antonii de Padua, de quodam divite avaro defuncto, narratur. Cum enim Sanctus hic illo textu pro concione uteretur : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, dixit ad circumstantes, auditores suos ; ut dicti hujus veritatem experiamini, abite oculus ad divitis illius defuncti domum et armarium investigetis, in quo divitias suas habere solebat depositas, inisque cor ejus appositum invenietis ; id quod revera ita accidit ; enimvero cor illud mundum appellari non potuit ; siquidem S. Anselmus, *in Matth.*, ait : « Si « cor est in cœlo, mundum est, quia munda sunt « cœlestia ; si autem in terra volutatur, quomodo « mundum est ? »

2. — S. Hieronymus super hæc verba scribens, monitum quoddam habet, huic presenti diei valde opportunum ; etenim si affectus et cor nostrum, etiamnum voluptatibus et vanitatibus præteritis adhereant, manifestum id nobis signum esse poterit, quod non in cœlo sed in terra thesaurizemus ; ita enim præfatus S. Doctor scribit : « Hæc non « solum de pecunia, sed et de cunctis passionibus « sentiendum est ; gulosi Deus venter est, ibi ergo « habet cor, ubi est thesaurus ; luxuriosi thesaurus « epulæ sunt, lascivi ludiera, amatoris libido ; huic « servit unusquisque, quo vincitur. »

## FERIA QUINTA CINERUM

LEGATUR EVANGELIUM CURRENS IN DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

## FERIA SEXTA POST CINERES

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. V, VERS. 43, ET CAP. VI, VERS. 1

43. Audistis, quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.  
 44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.  
 45. Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.  
 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et Publicani hoc faciunt ?  
 47. Et si salutaveritis fratrem vestrum tantum, quid amplius facitis ? nonne et Ethnicus hoc faciunt ?  
 48. Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.  
 vi. 1. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis ; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.  
 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagoga et vicis, ut honorificentur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam.  
 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.  
 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

## VERSUS 43.

*Audistis, quia dictum est : Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum.*

1. — Hæc propositio in antiqua lege nuspiam reperitur. Unde S. Thomas, *in Matth.*, ait : « Istud « nusquam invenitur in lege, sed additio est ex parte « Judæorum. » Existimant quidem multi Scribæ et Doctores, id ipsum ex multis in Deuteronomio ordinatis et præceptis deduci posse, et in specie dicit Lyranus ex illo, quod *cap. xix, 18*, Levitici præscribitur : *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, « inde arguebant odire inimicum, sed hoc est falsum, quia « omnis homo ex charitate diligendus est, in quantum ad imaginem Dei creatus est, et capax ipsius « per cognitionem et amorem. » Hugo Cardinalis postquam hanc conclusionem, scilicet in tota lege, hanc permissionem odii inimicorum nuspiam inveniri, tanquam indubitatum firmasset, mox addit, nisi forsitan legis nomine Scribarum traditiones intelligant : « In quorum traditionibus scriptum « est : odio habebitis inimicum, » motivum vero, cur id ipsum Scribæ licere existimarent, fuit, quia Deus, ut inimicos suos quisque persequeretur, præ-

ceperat ; verum turpiter hæc in re erraverunt, non distinguendo inimicum ab inimico ; illud namque præceptum intelligendum est de iis hostibus, qui illos in bello armis suis impugnabant, illis necem inferri corporalem, non vero mortem illis æternam desiderando, illis odio haberi præcepit. Lucas Brugensis observat, quod « Christus non ait : *Dictum « est, sed audistis quod dictum sit*, ita docti estis a « scribis vestris antiquis dictum esse. »

2. — Auctor Imperfecti, *Hom. xii*, hæc de re, tale format argumentum : « Si justum fuisset inimicos odire, Deus de inimicis ex gentibus nunquam in suam suscepisset dilectionem. »

3. — Dionysius Carthusianus, *in Matth.*, ut ostendat, quando præceptum hoc intelligendum sit ad litteram, distinguit, dicens : « *Odio habebitis « inimicum*, non odiendo naturam, sed culpam ; « non personam, sed vitium ; quod utique odium « ex charitate procedit, et ad perfectionem pertinet, de quo in Psalmo cxxviii, 22, canitur : « *Perfecto odio oderam illos*. Et *Psal. cxviii, 113* : « *Iniquos odio habui* ; » ceterum quisquis inimicum suum, quoad personam, odio prosequitur, qualiscumque ille sit, is neminem aliorum vera charitate